



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. III. An gratia habitualis sit forma entitativè supernaturalis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

creaturis quas diligit in ordine ad bonum naturale: Sic autem illis providet, ut non solum moveant eas ad actus naturales, sed etiam ipsis largiantur formas, & virtutes quasdam, seu qualitates fixas & permanentes, quæ sunt principia actuum, ut secundum se ipsas inclinentur ad huiusmodi motus: ut patet in lapide, cui dedit gravitatem, ut connaturaliter moveatur ad centrum; & in igne, cui levitatem indidit, ut connaturaliter ferretur ad locum sursum: Ergo multo magis debet infundere aliquas formas, sive virtutes & qualitates supernaturales, permanentes ac fixas, illis quos movet ad finem supernaturalem, per quas promptè & suaviter ab ipso moveantur ad bonum æternum consequendum.

Obijcies primo contra primam partem conclusionis: Si gratia sanctificans poneretur in prædicamento qualitatibus, esset imperfectior & ignobilior qualibet substantia creaturæ: Sed hoc dici nequit, ut infra patebit: Ergo nec illud. Sequela Majoris videtur manifestæ: cum enim qualibet qualitas sit modus quidam substantiæ, totum qualitatis genus est imperfectius simpliciter toto genere substantiæ: Ergo si gratia sanctificans ponatur in prædicamento qualitatibus, erit essentialiter imperfectior quacunque substantia.

Respondet negando sequelam Majoris. Ad cuius probationem dicendum, quod licet totum qualitatis genus, præcise secundum rationem genericam, & secundum ea quæ habet ex suo gradu, sit imperfectius genere substantiæ, totum tamen qualitatis genus, prout contractum per differentias, & ad varias species diffusum, est perfectius genere substantiæ, secundum aliquam partem, sub qua gratia ipsa continetur. Neque hoc est peculiare in hoc genere: multa enim alia reperiuntur, quæ ex ratione generica, cum præcise sumpta, sunt perfectiora aliis, à quibus tamen ex ratione specifica exceduntur. Nam amor Dei super omnia, qui habetur hic in via, præstat ejus cognitioni quæ habetur per fidem, secundum rationem specificam, cum tamen ab ea excedatur secundum rationem genericam in collectione. Itæ omne corpus vivens ex ratione viventis, est perfectius quolibet corpore cœlesti, & tamen quodlibet corpus cœleste, ex ratione generica corporis incorruptibilis, excedit omne corpus vivum, ut pote ex sua natura corruptibile.

Obijcies secundò contra secundam partem: Habitus est qualitas habens esse fixum & permanens in subiecto, & ab eo difficile mobilis: Atqui gratia sanctificans non habet esse fixum & permanens in anima, sed facile ab ea expellitur, cum per unicum peccatum mortale amittatur: Ergo non est habitus, sed dispositio.

Respondet D. Thomas quæst. 27. de verit. art. 1. ad 9. Quod quamvis per unum actum peccati mortalis gratia amittatur, non tamen facile gratia amittitur, quia habens gratiam non est facile illum actum exercere, propter inclinationem in contrarium, sicut Philosophus dicit in 5. Ethic. quod iusto difficile est operari iniuste. Adde quod, licet gratia hic in statu via per accidens sit variabilis, & facile mobilis à subiecto, ob imperfectam ejus participationem, & quia non est in suo statu connaturalis; per se tamen, & ex natura sua petit diu in subiecto manere, & difficile ab eo avelli, quia per se habet causas firmas & stables: unde in patria, ubi erit in suo statu connaturali, erit omnino incorruptibilis & inamissibilis, nec mensurabitur

A tempore, aut ævo, sed æternitate participata.

ARTICULUS III.

An gratia habitualis sit forma entitativè supernaturalis;

Hujus questionis resolutio haberi nequit, nec demonstrari supernaturalitas gratiæ sanctificantis, nisi prius declaretur in quo consistat essentia, seu ratio formalis supernaturalitatis: quæ difficultas adeo obscura & involuta est, ut Theologorum ingenia non parum torqueat, eosque in varios dicendi modos abire compellat.

B lar.

Primus est Scoti quæst. 1. prologi, & in 4. dist. 10. quæst. 8. ubi docet supernaturalitatem esse conditionem accidentariam entis creati: ex eo enim solum putat aliquid dici supernaturale, quod producitur à causa agente supra regulas naturæ, sive supra modum quo ex sua natura exigit produci.

Sed hæc sententia communiter rejicitur: Tum quia non distinguit inter supernaturale intrinsecè, sive quoad entitatem, & extrinsecè, sive quoad modum, contra communem Theologorum consensum, admodum entia supernaturalia intrinsecè & entitativè; imò & contra fidem, eadem etiam asseruentem: Tum etiam, quia actus fidei, contritionis, & dilectionis, non sunt præter regulas & modos quibus exigitur ex sua natura produci, & ipsa gratia sanctificans, dum infunditur à solo Deo, producitur juxta modum quem ex natura sua postulat; & tamen hæc quoad suam entitatem supernaturalia sunt; è contra verò visus cœco nato restitutus, est quoad suam entitatem naturalis, & tamen præter regulas communes naturæ producitur.

Secundus dicendi modus, præcise affinis, est Abulensis 2. Regum 24. quæst. 28. ponentis supernaturalitatem entis creati in habitudine ad solum Deum ut causam, ita ut res illa supernaturales dicantur, quæ à solo Deo producuntur, naturales verò, quæ à creaturis possunt produci.

Sed hæc etiam opinio probabilitate caret: quia Angeli, cœli, imò & materia prima, omnium entium imperfectissima, solum Deum ut causam respiciunt, & tamen sunt entia naturalia: è contra verò actus fidei & charitatis sunt supernaturales, & tamen producuntur ab homine, & non à solo Deo: Ergo supernaturalitas non consistit in habitudine ad solum Deum ut causam.

Tertia opinio docet ens naturale distingui à supernaturali essentialiter, per hoc quod istud dicitur habitudinem ad Deum ut unum & trinum, tanquam ad causam efficientem & finalem; illud verò respicit Deum, solum ut est in se unus in natura, non verò ut est trinus in personis.

Sed hic etiam modus dicendi, relatus à Joanne Vincentio Alturicepsi, relict. de gratia Christi quæst. 1. folio 11. à veritate aberrat. Et potest in pugnari, primò quia nullum ens creatum, etiam supernaturale, respicit Deum formaliter ut trinum, tanquam causam efficientem & finalem: Deus enim habet rationem prout principij & ultimi finis, in quantum est omnipotens, & summum bonum; omnipotentia, verò, & bonitas, cum sint attributa absoluta, conveniunt Deo ut uni, & ut prout intellectus relationibus & personis: unde relationes, quibus Deus

amandi attributa, quæ Deum ut est in se tanquam obiectum specificativum respiciunt: Ergo mediata saltem (mediantibus scilicet virtutibus, quæ ab ipsa emanant, ut proprietates ab essentia) dicitur habitudinem ad Deum ut est in se, tanquam in obiectum specificativum, & finem connaturalem.

35 Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Cum gratia sanctificans sit participatio naturæ divinæ, in quantum natura est, ut dicemus articulo sequenti, & natura divina, in quantum humiliori modo, sit formalissime actualis intellectio sui, & quasi a se specificetur, dicaturque formaliter eminenter habitudinem ad seipsam, ut clare & perfecte cognoscibilem; & ratione talis esse eminentis ita se respicientis, sit virtualiter radix attributorum, respicientium etiam per se primo Deum ut est in se, tanquam obiectum omnino connaturale, oportet necessarii quod gratia habeat de illo esse eminenti naturæ divinæ, quod ab ipsa specificetur; non quod eam immediate respiciat tanquam obiectum specificativum, cum gratia non sit immediate operativa; sed quod per modum radicis virtualiter fundet principia attingendi Deum ut est in se, per actus cognitionis & amoris; ex hoc enim habet respicere mediate essentiam divinam; tanquam obiectum a quo specificatur, quamvis eam immediate per seipsam non attingat.

36 Confirmatur secundo: Virtutes Theologicæ, respiciendo Deum ut in se est tanquam proprium specificativum, participant intrinsece aliquam perfectionem illius, excedentem omnes vires naturæ creatæ & creabilis: v.g. charitas fertur in Deum ut est summum bonum, participando ab illo maiorem inclinationem in suum obiectum, quam sit possibilis omni creaturæ; ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 23. art. 2. similiter fides, respiciendo Deum ut est prima veritas, participat ab illo maiorem certitudinem, quam sit possibilis per naturam; unde quilibet fidelis est paratus negare omnem evidentiam naturalem, potius quam fidem; idem proportionaliter reperitur in aliis virtutibus: Ergo pariter gratia sanctificans, quæ est illarum radix, & a qua emanant, ut proprietates ab essentia, participat aliquam perfectionem Deo propriam, ac excedentem perfectiones totius naturæ creatæ & creabilis, subindeque est intrinsece & quoad entitatem supernaturalis. Consequentia patet: quia debet esse proportio gradus inter habitus & proprium ac connaturale principium illorum.

37 Confirmatur tertio: Si gratia sanctificans esset solum supernaturalis quantum ad modum, non esset magis supernaturalis, quam visio miraculose restituta cæco nato, quæ dicitur supernaturalis quantum ad modum, quia modo supernaturali & extraordinario producitur: Sed hoc videtur plusquam absurdum, cum gratia sanctificans sit principium & radix meriti vitæ æternæ, & semen gloriæ & visionis beatificæ, iuxta illud Apostoli, *Gratia Dei vitæ æternæ*. Ergo est supernaturalis entitativè, & quoad substantiam.

38 Obijcis primo: Supernaturalitas creata non consistit essentialiter in habitudine ad Deum ut est in se: Ergo non est principium fundamentum nostræ sententiæ. Consequentia patet ex supra dictis. Antecedens probatur primo: quia donum scientiæ est ordinis supernaturalis, & tamen teste D. Thomæ 2. 2. quæst. 9. art. 2. in corp. & ad 3. tendit ad Deum per creaturas, subindeque non re-

spicit illum ut est in se. Secundo probatur: quia virtutes morales infusæ sunt supernaturales, & tamen non tendunt ad Deum ut obiectum specificativum & connaturale; cum hoc sit proprium virtutum theologicarum, & doctorum: Ergo supernaturalitas creata non consistit essentialiter in habitudine ad Deum ut est in se.

Respondeo negando Antecedens, Ad cuius primam probationem dico, donum scientiæ non ita in Deo cognitionem ex creaturis procedere, quin totus ille processus innitatur formaliter divino testimonio, quod est ratio formalis obiecti fidei: dona enim Spiritus sancti inniuntur virtutibus theologicis, & idem tendunt in Deum ut est in se, tanquam in obiectum specificativum. Ad secundam probationem dicendum; quod quamvis virtutes morales infusæ non respiciant immediate Deum tanquam finem connaturalem, mediate tamen in ipsum tendunt, quatenus respiciunt immediate obiectum ut regulatum per prudentiam infusam, quæ mediante fide & charitate attingit Deum ut est in seipso.

Obijcis secundo: Gratia sanctificans non est habitus operativus: Ergo non potest Deum ut est in se attingere per modum obiecti specificativi, aut finis connaturalis; subindeque nec esse entitativè supernaturalis, si supernaturalitas consistat in habitudine & tendentia in Deum ut est in se, tanquam in obiectum specificativum, aut finem connaturalem.

Respondeo quod licet gratia sanctificans non sit habitus proximè & immediate activus, est tamen habitus operativus remotè & radicaliter, quia ab ipsa emanant virtutes infusæ, & dona Spiritus sancti, quæ sunt principia proxima & immediata operandi in ordine supernaturali: unde est principium radicale attingendi Deum ut est in se, per modum obiecti specificativi, & finis connaturalis, quod sufficit ut sit entitativè supernaturalis, supernaturalitas enim creata, ut supra diximus, consistit in habitudine mediata vel immediata ad Deum, ut obiectum specificativum, aut finem connaturalem. Quare non solum gratia sanctificans, sed etiam auxilia, quibus ad illam disponimur, & ad actus supernaturales movemur, sunt intrinsece & entitativè supernaturales; quia mediata saltem tendunt in Deum ut est in se, tanquam in finem ultimum connaturalem, ex eo quod sunt principia actuum, qui ad Deum ut est in se immediate terminantur.

ARTICULUS IV.

Virum gratia sanctificans sit participatio specifica & formalis divinæ naturæ, etiam formaliter & reduplicative ut infiniti a se?

42 Arentur omnes Theologi, gratiam sanctificantem esse aliquam naturæ divinæ participationem, id enim manifestè patet ex variis Scripturæ testimoniis, præsertim ex illo Psalmi 81: *Ego dixi, di es tu, & filij Excelsi omnes*, quod D. Augustinus ita interpretatur: *Manifestum est quia homines dicunt Deos, ex gratia sua deificatos, non de substantia sua natos: ille enim iustificat, qui per semetipsum non ex alio iustus est, & ille deificat, qui per seipsum non alterius participatione Deus est, qui autem iustificat, ipse deificat, quia iustificando filios Dei facit, dedit enim eis potestatem filios Dei fieri: si filij Dei facti sumus, & de facti sumus, sed hoc gratia est adoptantis, non natura generantis. Solum ergo difficultas est in modo explicandi talem divinæ naturæ participationem: quidam volunt eam non esse physicam,*

ut trinus constituitur, non sunt operativa ad extra, & nullam habent bonitatem & perfectionem, præter eam quam accipiunt à divina essentia, in ipsis transcendentaliter inclusa, ut in

Disputatio 3. Tractatu de Trinitate ostendimus.

471. 5.

Secundo impugnatur: Deum esse supernaturalem, est ipsum esse supra omnem naturam creatam & creabilem: Sed Deus ut unus, & præintellectus Trinitati, est supra omnem naturam creatam & creabilem, cum sit ens à se, infinitus, & actus purissimus, quæ perfectiones nulli possunt convenire creaturæ: Ergo Deus ut unus, & ut præintellectus Trinitati, est supernaturalis.

Confirmatur: Si per impossibile Deo non esset trinus, non posset videri ab intellectu creato, nisi eius essentia concurrente in ratione speciei, & per virtutem supernaturalem elevatam, ut convincunt omnia argumenta, quibus in Tractatu de visione beata ostendimus Deum, ut de facto est in se Unus & Trinus, videri non posse sine lumine gloriæ, & essentia divina in ratione speciei concurrere: Ergo Deus ut unus, & ut præintellectus Trinitati, est supernaturalis. Unde cum supernaturalitas entis creati sit quædam participatio, & veluti expressio divinæ supernaturalitatis, in habitu ad Deum, ut Trinum, non potest formaliter consistere. Quare

Multi ex Recentioribus volunt eam sitam esse in habitu ad Deum, propterea non est cognoscibilis ex creaturis. Alii in hoc quod nulli creaturæ potest esse connaturale. Ita Cajetanus 1. p. qu. 12. quem sequitur ibidem Nazarius. Verum hi modi dicendi explicant nescire, quid non sit supernaturalitas, quam quid sit; sicut & ille quo asseritur ens supernaturale esse illud, quod à nulla creatura, propriam virtutem, nec à Deo ut author naturæ, prodici potest. His ergo, & similibus modis explicandi supernaturalitatem relictis, ut clare veritas aperitur.

Notandum primo: quod cum supernaturalitas entis creati sit (ut supra dicebamus) quædam participatio, & veluti expressio divinæ supernaturalitatis, hæc cognoscitur, non potest plene intelligi quid illa sit: quare prius investigandum est, quid sit in Deo supernaturalitas, ut inde postea declaratur, quid illa sit in creaturis. Unde

Notandum secundo, Deum esse supernaturalem, non esse aliud, quam ipsum esse elevatum supra totam naturam creatam & creabilem, quoad omnia quæ in natura creata & creabili reperiuntur: sicut enim celi & Angelus sunt supernaturales secundum quid, quia illi elevantur in suo esse supra omnem naturam sublunarem & corruptibilem, illi vero etiam supra totam naturam corpoream: ita Deus ex eo dici debet supernaturalis simpliciter, quod elevatur supra totam naturam creatam & creabilem, quoad ea quæ ex se habet: Non excedit autem Deus naturam creatam & creabilem in esse, vivere, aut intelligere præcisè, quia hæc omnia dispersa reperiuntur in creaturis, sed in modo quodam ista habendi, scilicet sine admixtione ullius potentialitatis & imperfectionis. Quare Deum esse supernaturalem, propriè & formaliter, non est aliud, quam ipsum esse totam essendi plenitudinem, ac proinde ipsum esse irreceptum, & per se subsistens, actum purum, infinitum &c. hæc enim nulli creaturæ communicari possunt, cum repugnet ipsum esse per se subsistens & irreceptum communicari, ut demonstratur in Tractatu de attributis, cum agitur de unitate Dei. Unde quamvis

Trinitas personarum in una simplici essentia eminentiam importet, creaturæ limitationi repugnantem, in ea tamen licet supernaturali, non est sita per se primò Dei supernaturalitas, sed in alia jam descripta eminentia, seu in modo habendi omnes gradus essendi, ex quo veluti ex ratione à priori, nostro modo intelligendi, oritur Trinitas Personarum in una simplici essentia: Naturæ quæ Divinæ fecunditas ad intra per actiones immanentes intellectus & voluntatis, provenit ex omnimoda illa essendi plenitudine, & infinitate Dei, ut docetur in Tractatu de Trinitate.

Hinc sequitur supernaturalitatem creatam, quæ (ut supra dicebamus) est veluti quædam imago & expressio in creaturæ, consistere in participatione earum perfectionum, quæ sunt propriae Deo, in quantum est elevatus supra totam naturam creatam & creabilem, & quæ illi conveniunt, quatenus est ens à se, & ipsum esse irreceptum & illimitatum, habetque totam essendi plenitudinem. Quod ut magis declaratur:

Tertiò observandum est, Deum, in quantum est ens à se, & plenitudo essendi, habere duo genera perfectionum: quædam enim sunt quæ non possunt communicari ad extra, secundum eam rationem formalem quæ Deo insunt; quia oportet quod communicaretur tota essendi plenitudo, quod est impossibile. Huiusmodi autem sunt, esse à se, esse actum purum, esse simpliciter infinitum, esse Trinum in Personis cum una essentia, esse omnino simplicem, esse essentialiter intelligentem in actu secundo, esse simul objectum, speciem, verbum, & intellectionem, absque reali distinctione; hæc enim & similia non possunt formaliter reperiiri, nisi in eo qui habet totam essendi plenitudinem. Aliæ vero sunt perfectiones, quæ possunt ad extra communicari, secundum illam rationem quæ sunt Deo propriae, diminutæ tamen & inadæquate. Huiusmodi autem sunt, respicere ipsum Deum tanquam objectum connaturale, cognoscendo & amando, & tanquam finem connaturalem: hoc enim, quavis non possit in creaturis reperiiri in eo gradu perfectionis quo Deo convenit, quia Deus respicit seipsum tanquam objectum connaturale, modo infinito, & se omnino adæquando & comprehendendo, quod nulli creaturæ ob limitationem competere potest; conferri tamen potest creaturæ, ut respiciat Deum prout in se est, per actus cognitionis & amoris, tanquam finem & objectum aliquo modo connaturale. Et hoc est propriè participare id quod est proprium Deo: Nam participare aliquid, est partem illius capere, & partem relinquere; ex eo vero quod creaturæ communicatur respicere Deum ut est in se, tanquam objectum & finem connaturalem, modo tamen finito & limitato, partem capere illius quod est Deo proprium, tendentiam scilicet connaturalem in divinam essentiam, & bonitatem increatam; & partem relinquit, modum scilicet infinitatis, illimitationis, & comprehensionis, quo Deus seipsum cognoscit & amat.

Ex his facile demonstrari potest, gratiam sanctificantem esse formam entitativè supernaturalem. Nam supernaturalitas creata consistit essentialiter in habitu mediata vel immediata ad Deum ut est in se, tanquam ad objectum specificativum, & finem connaturalem: Atqui gratia sanctificans talem habitum importat: Ergo est entitativè supernaturalis. Major patet ex principis jâ statutis: Minor etiam manifesta est. Gratia enim sanctificans est radix cognoscendi & amandi